

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1245

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

292. Pabst Innocenz IV nimmt das Frauenkloster St. Marz zu Straßburg in seinen besondern Schutz und ertheilt ihm umfassende Privilegien. 1245 Juni 12 Lyon.

: Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis in Christo filiabus . . . priorisse ecclesie sancti Marci Argentinensis ejusque sororibus tam presentibus quam 5 futuris regularem vitam professis in perpetuum. : religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis enervet. eapropter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus elementer annuimus et ecclesiam sancti Marci Argentinensem, in qua divino estis obsequio mancipate, sub beati 10 Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, inprimis siquidem statuantes, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, preterea quascumque possessiones, quecumque 15 bona dicta ecclesia impresentiarum juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis et hiis, que vobis successerint, et illibata permaneant. in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in 20 aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. sane novalium vestrorum, que propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. liceat quoque vobis, personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere et eas absque contradictione 25 aliqua retinere. prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit, sine priorisse sue licentia de eodem loco nisi artioris religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis 30 campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum benedictiones monialium a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte Romane sedis habuerit et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. prohibemus insuper, ut infra fines parrochie vestre 35 nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et 40 extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati vel interdicti sint aut publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum eccle-

siarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. obeunte vero te nunc ejusdem loci  
 5 priorissa vel earum aliqua, que tibi successerit, nulla ibidem qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quam sorores communi consensu vel earum major pars consilii sanioris secundum deum et beati Augustini regulam providerint eligendam. paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica inhibemus, ut infra clausuras locorum seu  
 10 grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ecclesie vestre concessas necnon libertates et exemptiones *secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas*  
 15 auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur *earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura*, salva sedis  
 20 apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam *sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore*  
 25 *ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat* atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sil pax domini nostri *Jesu Christi*, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. amen amen.

30 (O.) *Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus subscripsi. (M.)*

† *Ego Oto Portuensis et sancte Rufine episcopus subscripsi. + ego Petrus Albanensis episcopus subscripsi. + ego Willelmus Sabinensis episcopus subscripsi. + ego Odo Tusculanus episcopus subscripsi. + ego Petrus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi. + ego Willelmus basilice duodecim apostolorum*  
 35 *presbyter cardinalis subscripsi. + ego Johannes tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi. + ego frater Hugo tituli sancte Sabine presbyter cardinalis subscripsi. + ego Octavianus sancte Marie inviolate<sup>a</sup> diaconus cardinalis subscripsi. + ego Petrus sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis subscripsi. + ego Johannes sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus*  
 40 *cardinalis subscripsi. + ego Willelmus sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.*

a) *H inviolata.*

*Datum Luguduni per manum magistri Marini sancte Romane ecclesie vicecancellarii 2 idus junii, indictione 2, anno dominice incarnationis 1245, pontificatus domini Innocentii pape quarti anno secundo.*

*H aus Straßb. Hosp. A. lad. 89 fasc. 6 or. mb. c. bulla pend. Das Pergament an vielen Stellen ausgerissen.*

*H 1 coll. ibid. cop. chart. sec. XVI<sup>1</sup>.*

293. *Pabst Innocenz IV unterstellt das St. Katherinenkloster zu Straßburg dem Dominikanerorden. 1245 Juli 4 Lyon.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis in Christo filiabus . . . priorisse et conventui monasterii sancte Catherine Argentinensis salutem et apostolicam 10 benedictionem. apostolice sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obviam sponso ire, tanto propentiori debet studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos incluse corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote domino famulantes de institu- 15 tionibus fratrum ordinis predicatorum illas, que vobis competunt, hactenus laudabiliter duxeritis observandas ac committi . . . magistro et . . . priori Theutonie ipsius ordinis affectetis, nos pium vestrum propositum in domino commendantes, devotionis vestre precibus inclinati, vos et monasterium vestrum auctoritate presentium magistro et priori committimus supradictis, eadem auctoritate nichilominus statuentes, ut sub 20 magisterio et doctrina magistri et prioris principalis Theutonie dicti ordinis, qui pro tempore fuerit, de cetero maneatis illis gaudentes privilegiis, que ordini predicto ab apostolica sede concessa sunt vel imposterum concedentur ipsique magister et prior, contraria constitutione ipsius ordinis vel indulgentia ab apostolica sede 25 obtenta seu etiam obtinenda nequaquam obstantibus, animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam ac vobis de constitutionibus ejusdem ordinis illas, que vobis competunt, sine difficultate qualibet exhibentes eidem monasterio per se vel alios fratres sui ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quociens expedierit, officium visitationis impendant corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris, que correctionis seu reformationis officio noverint indigere, nichilominus 30 instituant et destituant, mutant et ordinent, prout in aliis monasteriis monialium ejusdem ordinis fieri consuevit; electio tamen priorisse libere pertineat ad conventum. confessiones vestras audiant et ministrent vobis ecclesiastica sacramenta et ne pro

<sup>1</sup> *Ebenda lad. 90 fasc. 2 findet sich im Original die ganz gleichlautende Bulle Innocenz IV für das St. Elisabethkloster zu Straßburg, 1245 Juli 4 (4 nonas julii) Lyon. Von den zwölf Cardinals- 35 unterschritten fehlt nur die letzte und an neunter Stelle steht Egidius sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis. Vergl. den Druck bei Grandidier Oeuvr. inéd. III, 377 nr. 417. Mit diesem Privileg für St. Elisabeth stimmt eine Bulle Innocenz IV für das Kloster des heiligen Evangelisten Johannes zu Straßburg in Inhalt, Datierung und Subscription vollständig überein, i. Straßb. Hosp. A. lad. 90 fasc. 11 or. mb. c. bulla pend.*

eo, quod in monasterio vestro ipsius ordinis fratres residere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, predicti magister et prior ad confessiones in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta predicta vobis deputent aliquos discretos et providos capellanos. ad hoc liceat vobis redditus  
 5 et possessiones recipere ac ea libere retinere, non obstantibus contraria consuetudine seu statuto ipsius ordinis confirmatione sedis apostolice aut quacunque firmitate alia roboratis. nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum  
 10 ejus se noverit incursum. datum Lugduni 4 nonas julii, pontificatus nostri anno tertio.

*T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 6 inserirt einer Bestätigung Pabst Gregors XI, 1371 November 15 Avignon, or. mb. c. bulla pend.*

*Gedruckt bei Ripoll Bullar. ord. predicat. I, 150 nr. 89 (ex archivo ordinis lib. A)<sup>1</sup>. — Potthast Reg. pontif. nr. 11706.*

294. *Pabst Innocenz IV gestattet dem Straßburger St. Thomascapitel nur die päpstlichen Provisionen, welche die vorliegende Indulgenz erwähnen, zu beachten. 1245 November 10 Lyon.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . . preposito et capitulo  
 20 ecclesie sancti Thome Argentinensis salutem et apostolicam benedictionem. vestris precibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus, ut non teneamini alicui per litteras apostolicas providere, nisi de indulgentia hujusmodi expressam fecerint mentionem. nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presump-  
 25 serit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Lugduni 4 idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

*T aus Straßb. Thom. A. docum. hist. lad. 1 (privilèges) or. mb. c. bulla pend. Auf der Rückseite von gleicher Hand: Johannes de Asisio.*

*Gedruckt darnach bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 313 nr. 35. — Potthast Reg. pontif. nr. 11959.*

<sup>1</sup> Ripoll l. c. erwähnt gleichlautende Bullen Innocenz IV unter demselben Datum für das St. Elisabeth-, St. Matthäus-, St. Johannes- und St. Marcuskloster zu Straßburg. Für das letztere indeß verfügte der Pabst erst 1246 Februar 1 Lyon die Einverleibung in den Dominikanerorden, wie aus einer  
 35 gleichfalls im Thom. A. ebenda befindlichen Bestätigung Gregors XI, 1371 October 10 Avignon, zu erschen ist. Für das Straßburger St. Agneskloster hatte er diese Maßregel schon früher getroffen, 1245 Mai 7 Lyon (cfr. Ripoll l. c. p. 148 nr. 85. — Potthast Reg. pontif. nr. 11658), und in weiterer Ausführung wiederholt, 1247 October 12 Lyon, cfr. Ripoll l. c. p. 178 nr. 186. — Potthast Reg. pontif. nr. 12721. Für das St. Katherinenkloster erneuerte mit unwesentlichen Zusätzen Innocenz IV das Einverleibungsdecret, 1249 August 20 Lyon. Straßb. Hosp. A. lad. 125 fasc. 8 or. mb. c. bulla pend.